



Rubr. XVIII. Nro. 25. C.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

48

*EXERCITATIONVM
THEOLOGICARVM IX.*
DE
**RENIBUS ANI-
MALIUM
PRÆCIPUIS SACRIFI-
CIORUM PARTIBUS,**

QVAM

Deo clementer adspirante

PRÆSIDE

JOH. DANIELE CRAMERO,
SS. THEOL. DOCT. EJVSDEMQVE ET LIN-
GVAR. SACR. NEC NON HIST.P.P.

ILLVSTRIS GYMNASII ANHALTINI RECTORE,

publice defendet

FRIDERICUS ALBERTUS SALMUTH,
Jesnicensis Anhalt.

Die XII. Septemb. Hora IX. usque ad XII.

SERVESTÆ,
IN OFFICINA TYP. GYMNASII ILLUSTR. ANHALT.
ANNO M DCC XIV.

E.



V I R O
NOBILISSIMO, EXCELLENTIS-
SIMO ET CONSULTISSIMO,

D O M I N O
WOLFGANGO
ERHARDO 

SERENISSIMI DUCIS SAXONIÆ
BARBIENSIS CONSILIARIO AULICO SPLEN-
DIDISSIMO, ET MERITISSIMO,

*MATRUELI ET SUSCEPTORI SUO MULTIS
NOMINIBUS VENERANDO*

HANC DISSERTATIONEM THEO-
LOGICAM

OPTIMA VOLUNTATE ANIMIQUE
PIETATE

DEDICATAM VULT

F. A. SALMUTH





DE

RENIBUS ANIMALIUM PRÆCIPUIS SACRIFI- CIORUM PARTIBUS.



Ccasione sumsi ex rebus, quæ ad me propius spectant, majori, quam antehac attentione considerandi, quæ in S. litteris de renibus seu proprio, seu occultiori sensu scripta reperiuntur.

Quia in recum ad frequentiores phrases ab iis desumptas animum adjeci, tum vero in historia sacrificiorum libuit observare, & piacularia & salutaria five eucharistica maxime notabilia fuisse oblatione rerum, id quod legitur. Lev. c. III, v. 4. 10. 15. cap. IV, v. 9. Itaque sicut Deus O. M. sapienti arbitrio præcipuum sibi in sacrificii suis portionem ex renibus destinavit mundorum animalium, ita nunc cum externa illa sacrificatio sublata est, relinquitur nobis aut potius præcipitur rerum illarum veterum sancta meditatio, quæ sine dubio ad cultum rationalem a Paulo commendatū Rom. XII, 1. in primis pertinet. Ego vero, qui animo sollicito jam saepe de renibus ad vitam corpoream conservandam non

Præfatio.

A 2

potui

potui non cogitare, multo libentius medicabor in præsentia *renum* sacrificialium sacram significationem ad vitam interiorem magis fovendam, ut vel hoc nomine *sacrificium laudis* cum *gratiarum actione*, quæ summo Numinis, Liberatori & Conservatori debetur, ea qua pars pietate faciam.

Victimæ §. II. Quod ad rem propositam attinet, memorat
vel totæ vel Moses in historia sacra duo generæ *victimarum*, quas
earum par- DEUS præceperit, alias, quæ totæ essent in altari igne
tes Deo ob- consumendæ, alias, quarum tantum *partes* quædam.
latæ sunt. De priori genere lex data est Levit. I. de posteriori
 cap. III. IV. V. Quæ victimæ totæ altari debebantur,
 Hebraïs dictæ שְׂרֵלָה eo quod primum in altare, deinde
 ad cœlum quoque, cum igne conflagrarent, totæ
 adscenderent. Græci Interpr. LXX. perspicue plurimi
 locis appellantur ὁλοκαυτώματα & ὁλοκαυτάσεις.
 De hujusmodi sacrificio Abarbenel magnifice omnino
 sentit, quod fuerit קרבן הוייר נבר ומרוץ לפני השם מכל הקרבנות
 oblatio selectissima & Deo acceptissima præ omnibus aliis oblationibus. Comment. in leg.
 fol. 190. col. 1. lin. 22. Quod quidem aliqua ex parte
 nobis probaretur, nisi & reliqua sacrificia similiter a
 Deo mandata similiter Deo grata esse oporteret. Vide
 Levit. c. II, v. 2. 9. c. III, v. 5. 16. Si quis autem mature
 querat, cur Deo visum fuerit, vel tota postulare hæc
 ὁλοκαυτώματα, vel tantum portiones quasdam sibi expe-
 tere illorum sacrificiorum, & cetera omnia sacerdotibus
 ac dominis, qui attulerant, permittere; admiramur
 merito sapientiam Dei sumimam, qua per umbrarum
 typicarum multitudinem & distinctionem præfigurare
 voluit, quod in Christo uno antitypo & vero corpore
 con-

conunctum erat. Illius enim obedientiam *omnibus membris corporis*, omnique sanctitate & patientia mentis præstandam, omnibus proinde numeris perfectam, omnique ex parte gratam Deo & acceptam fore, præ-significatum est holocaustorum, quæ tota accipiebantur, incendiis; at vero sanctos aliquando cum sacrificio Christi servatoris communionem esse habituros, sive illius futuros *participes*, hoc præmonstratum est in iis victimis, quarum pars ipsis offerentibus & sacerdotibus concessa est. Vid. 1. Cor. X, 18. Ex quibus velut in transitu expositis tenebimus tantummodo sacrificiorum id genus, quod unum est nostri instituti. Nam, ubicunque offerentes aut sacerdotes sacrificii partem ceperunt, quod erat *piacularē* vel *salutare*, portionem divinam inter alia fecerunt *renes animalium*, cuius rei rationem, modum, & significationem jam jam, qua datur via, investigare propositum est.

§. III. Habemus autem in hoc argumento tum quæ ad sensum *historicum* pertinent, tum quæ ad *sublimiorem* seu *mythicum*. In *historia antiquitatum Judaicarum* interpres ex sacris litteris recentent res *quinq[ue] distinctas*, portioni Dei sacrificiali attributas, (a) *adipem omnem regentem intestina*, (b) *adipem, qui supra intestina est* (c) *RENES BINOS* cum adhærente *pinguedine*, (d) *adipem, juxta lumbos* — (ita enim vocem Hebræam sine accuratori indagatione cum Bocharto & Coccejo interpretari licebit) (e) *omentum vel lobum hepatis* יזרת על הכביר de qua voce respici possunt, que a Celeb. Fullero in *Miscel. Sacr. lib. V. c. 15.* & magno Bocharto *Hieroz. lib. II. c. 45.* p. 498. & seq; nec non Cl. Coccejo & Gussetto in *Lexicis*.

*In parti-
bus fuerunt
præcipue
renes.*

Hebr. docte & acute sunt disputata, at nostrum judicium non exigunt. Quibus rebus quinque & (f) sexta accessit, pinguissima *cauda ovium*, si ex hoc animanti sacrificium Deo destinatum esset. Levit. III, 9. c. VII, 3. Nobis autem heic scire sufficit, inter illa quinque usitata *BINOS RENES* cum adipe suo, fuisse precipuas partes sacrificii DEO dandas, & in altari exteriori inflammandas, secundum Levit. IV, 8. Ut proinde omnem adipem interiorem & maxime renibus adhaerentem Deus e toto animali acceperit, ceteris quibusunque carnibus & visceribus residuis in sacerdotum & offerentium portionem cedentibus. Levit. VI, 26. c. VII, 15. c. XXII, 10. seqq. Deut. XII, 17 18. De cetero, quo ritu, modo, ordine haec omnia inter Judæos olim perfecta fuerint, ex Mischna & Maimonide, Rabbinorum sequiorum turba; atque ex Judeorum monumentis multi Christianorum Viri docti & antiquitatis studiosi perspicue explanarunt, ut hic historica narratione accuratori minime opus esse videatur, quandoquidem sublimiorem seu occultiorem sensum scrutari potius statutum est.

In quibus considerantur vocis Hebraicæ, que RENES significal vox, usus, ficat, naturam, (2.) eorum usum in corpore animali, & phrases. (3.) frequentiores de iisdem phrases, in verbo Dei usitatas. Nihil enim aliud supereft, unde aliquod nobis fundamentum præbeatur inveniendi sensus, quem in sacrificiorum mystica significatione locum habere oporteat. Vox Hebraica כְּלֵיִת cum a radice descendat, intima sua potestate efficit notionem perfectionis, sive consummationis, qua res ad finem suū perveniens plane

plane absolvitur, & perficitur, aut etiam definit atque consumit. Animadverte eam in rem quædam ex uno Coccoji Lexico excerpta, clarissima loca, velut i. Reg. VI, 38. כִּרְחָה הַבִּתָּה *PERFECTUM est templum*; Exod. XXXIX, vers. 32. וְהִכְלֵל כָּל עֲבֹתָה מִשְׁכָן אֱלֹהִים מָעוֹד. כִּי *PERFECTUM est omne opus habitaculi tentorii conuentus*, Gen. XII, 33. Et abiit Dominus כָּלָה post quam ABSOLVISSET loqui cum Abrahamo. Exod. V, 14. Quare non כָּלִיתָם חֲקָכָת *ABSOLVISTIS* seu perfectis pensum vestrum statutum. Quibus innumera alia consimilia sunt, unde vis verbi secundum antecedentium & consequentium materiam perspicue cognoscitur. Itaque significatio vocis כָּלִיות *renum* petenda videtur ex *consummatione* quadam aut *conjunctione*, cuius officina a sapientissimo Creatore in renibus constituta sit. Neque ut opinor, res ipsa discrepat, quemadmodum de usu rerum satis multa ex Medicorum libris hoc trahi posunt, facili cujusque corporis animalis experientia & sensu oculorum certissime comprobanda.

§. V. Si enim hic in rem præsentem venire libet, *Usus est tradunt omnes salutaris scientiae & structuræ corporis secretio seri periti, in renibus primarium esse locum seri superflui a superflui.* reliquo sanguine fecernendi. Excell. WEDELIUS, in Physiol. Med. p. 165. *Uti in economia*, inquit, *vel urbe aquæ ductus & canales requiruntur pro eliminandis impuris humoribus, ita & natura in microcosmo talia fabricavit in RENIBUS & vesica, sociis visceribus.* Et specialius p. 167. *Hinc colligimus, in renibus segregari a sanguine serum superfluum, tum aqueum in se, tum salibus volatilibus, acidis, tartareis, tum aliquibus, par- cissimis tamen sulphureis remixtum.* Piget fere alia simi-

similia, quæ nostri operis non sunt, ex Cl. Bohnio, aliisque œconomiae animalis interpretibus transcribere, eo maxime, quod neque ad scopum nostrum multum faciet, artificium percolationis, quod in renibus deprehenditur, ex aliis scriptoribus, qui ipsi naturam magis heic admirantur, quam plane rimari possunt, multis verbis commemorare. Illud tantum hoc loco tenebimus, renes ob necessariæ secretionis officium esse perfectores sanguinis, adeoque nomen linguae sacræ ipsi rei, sicut in aliis multis, admodum eleganter convenire.

Phrases significant aliquid occultum.

§. VI. Proximum est, ut phrases de *renibus* ob vias paullulum expendamus. Quarum fere præcipua videtur, quod DEUS dicitur בְּחִזְנָה לְבָתָר וּכְלִיּוֹת probans corda & renes, Psal. VII, v. 10. & similiter, בְּחִזְנָה probans renes & cor, Jer. XI, 20. & paullo aliter חַזְקָר לְבָב בְּחִזְנָה כְּלִיּוֹת וּבְ probans renes, fere sicut scribitur in N. T. ἐρευνῶντες τὴν οὐρανὸν scrutans renes & corda, Apoc. II, 23. Quos loquendi modos inter se convenientissimos si inspicimus, nihil aliud opinor, significant, quam penetrantissimam Dei intelligentiam, qua occultissimas aqua intimas mentis cogitationes plane perspicit, & secundum sanctitatis suæ normam, bona animale sint, explorat vel judicat. Quo sensu & DEUS alia phrasim רָאשׁ כְּלִיּוֹת וּבְ videt clarissime cognoscit renes & cor, Jer. XX, 12. Sicut enim Cor internum hominis affectum, sensum, desiderium, amorem passim significat, ita & renes congrua sententia sunt explicandi; ac Deus proinde, cum CORDA & RENES investigare, scrutari, probare, pervidere scribitur, dubitari non potest, quin accuratissima Dei scientia ad intimam nostra, quæcunque sunt relata, intelligenda sit.

§. VII.

§. VII. Conabimur hæc aliquanto specialius ad corporis animalis, unde voces petitæ adeoque sensus repetendus, similitudinem explicare. Manifestum est atque indubitatum, *cor* nostrum mirabilem esse machinam sanguinis per omnes corporis partes impellendi. Quod qua ratione mechanica fiat, docet inter alios acutiss. *Borellus de motu animal.* pag. 66. 76. seqq. Itaque, si in *circulo* œconomiae corporis humani principium aliquod actionis cogitari aut definiri potest, *primus impetus motus a corde est*. Per eundemque *impulsum* ut omnes consequentes motus secretiones que fiunt, dum corpus a corpore premitur & protruditur; sic ipsa, quam supra attigimus, serì urinosa a sanguine separatio in *renibus* sine dubio fit per illum cordis impetum, sed ita fit occulte ignota meatuum structura, ut effectus quidem commonistrari posit, accuratisimus autem efficiens modus in tenebris delitescat, oculumque fugiat. Vid. *Bohnii Circ. Anatom.* p. 219. Quæ ut huc ad phrases sacras superiores enodandas transferantur, DEUS scrutatur *corda*, quatenus primos *impetus* mentis humanae, v. g. ad adipiscendos honores, divitias, voluptates, sive, ut cum Servatore loquar, quicquid cogitationum *e corde egreditur*, Matth. XV, 19. penitus intelligit, hominumque *spiritus*, quocunque naturali impulsu feruntur, intime cognitas perspectasque habet. Sed *renes* idem Deus infinita sua scientia investigat probatque, cum accuratissime novit, per quos *occultos meatus* proferantur cogitationum humanarum varia molimina a corde profecta, & quænam sit *forma operis cogitationum cordis ejus*, secundum Gen. VI, 5. Quo enim magis per vias suas occultiores pro-

B

cedunt

cedunt cogitationes mentis, eo majori varietate fit ἔργον, alii aliisque suis formis vestitum, quod, quale sit, & quomodo progressus fiat, Deus profundissima cognitione penetrat. Præcipue vero, quia renes seri utilioris separationi inserviunt, atque a perfectione operis nomen acceperunt, ideo *renes explorare*, ubi de Deo dicitur, idem est, ac perfectissime cognoscere, quid in utilium cogitationum aut factis humanis adhæreat, aut ab iis separetur; breviter, quid in omni mentis actuositate bonum malumve sit, quæ actio hominis interna consummatam habeat bonitatem, aut non habeat. Sic videor, mihi scientiam rerum occultissimarum, ex illis, quas supra dixi, phrasibus satis, ut res postulat, explicasse. Quod enim vulgo adferunt, Deum καρδιῶν τὰ res secretas mentis cognoscentem ideo dici scrutantem corda & renes, quod ea viscera interna sint, & renes potissimum intra molem copiosi adipis occulti hæreant, id non rejicio quidem, sed nondum sufficere existimo, cum illa profundissima Deiscientia multo magis ad multo occultiorem structuram rerum internam, & ignotius secretionis animalis artificium & scopum videatur referenda.

*Et phrasib⁹
aliis confir-
matur.*

§. VIII. His omnibus convenienter intelligi possunt quedam aliæ de renibus phrases verbi divini. Quid enim aliud sibi vult Servatoris illud de se loquentis PL XVI, 7. לילוֹת יִסְרָאֵן כְּלַיּוֹת noctu castigaverunt me renes mei, nisi ut demonstretur, vel nocte extra omnium hominum conspectum, vel in tenebris gravissimarum afflictionum, ne occultissimis quideam motibus corporis aut mentis tantillum factum esse contra legis & consilii divini sanctitatem, q. d. intimi omnes motus

ad-

admonent me officii. Unde Celeb. *Ahingius* inter
νόμον τῆς ψυχῆς legem mentis interioris, Rom. VII, 23, &
renes castigantes hujus loci commodum parallelismum
observat. Similiter se habent, quae leguntur Ps. LXXIII,
21. sed ob aliud verbum adjunctum paullo magis extra
sensem moralem accipienda, כי הַחֲמֵץ ibi Psaltes ait,
לְכָבֵר וּכְלֹוִתִי אֲשֶׁרְנִי ^{cum acrimonia corroderetur}
cor meum, & renibus meis exacuerer, i.e. (secundum
Celeb. Cocc.) cum RENES, quasi χειρός & mucroni-
bus implerentur. Significatur *internus* & acutus sensus,
quem scriptor sacer Græco interpretaretur per phrasin:
κατενύγντας τὴν παρδίαν compuncti sunt corde A& II, 37.
Breviter: ubicunque *renum* improppio significatu men-
tio fit, semper *internum* quiddam & *occultum* intelli-
gendum est, & speciatim, si sensus moralis locum ha-
beat, ut in plerisque loquendi modis vidimus, com-
modissime cogitationes mentis per suum progressum
quasi *consummate*, seu bonæ seu malæ sint, nostra qui-
dem sententia indicantur.

§. IX. Sequitur nunc, ut hac tenus exposita ad *Hinc expli-*
renum sacrificationem pro ratione propositi nostri illu-
strandam adhibeamus. Quia in re primo stabilendum *catur renū*
est, quod hoc imprimis pertinet, in eo sacrificiorum
genere, ubi *renes* altari consecrati sunt, eos non ob adipem
adhærentem, quod quis cogitare posset, sed *in*
seipsis rem sacram fuisse, & habendam esse. Si enim
tantum adipem copiosum *renum*, non ipsos *renes* Deus
respexisset, cur & hi in altare delati sunt? cur non ab
adipe circumiacente, quod non difficulter fieri pote-
rat, sacerdotum ministerio separati, quemadmodum

adeps ab intestinis erat separandus? Renes igitur ob seipso debuisse offerri cum ex his pateat, ipsi etiam in mystico sensu oportet ut suam significationem habeant. His positis, facile ad rem nostram accommodabimus, quæ supra de voce, de usu renum, de phrasibus denique usitatis allata sunt. Percurremus autem primo sacrificia piacularia, deinde & salutaria seu pacifica, in quorum utroque genere *renes animalium*, secundum supra dicta, locum invenerunt.

Et quidem in sacrificio קָרְבָּן illustrissimo typo præfiguravit Christum, quem pro peccato. Deus pronobis ἀμαρτίαν ἐνεισέ peccatum, id est, juxta Hebraismum verbi קָרְבָּן Levit IX, 15. *sacrificium pro peccato* fecit. Cum enim in Christo Jesu concurrant, sacerdotem & altare esse, quod utrumque naturæ divinae habito respectu ei competit, secundum Hebr. IX, 4. c XIII, 10. 15. Matth. XXIII, 19. Etiam in eodem Servatore *sacrificium pro peccato* est, ratione corporis, id est, naturæ humanae, (Hebr. X, 10. Joh. I, 1.) quæ tamen dignitatem & pretium a conjunctissima Deitate accepit, juxta Act. XXVIII, 20. 1. Petr. I, 19. Illud vero קָרְבָּן *sacrificium pro peccato* quia potissimum in typo constabat *renibus animalium, internis visceribus*, ideo de Christo antitypo significatum est, eum in intima sui parte ANIMA, ejusque summa sanctitate & patientia DEO acceptissimam victimam oblaturum esse. Quæ si jam specialius enucleanda sint, & ex omnibus supra dictis explicanda, primo hoc repeti & considerari volumus; sicut renes secundum vocem & rem ipsam perficiendo & depurando sanguini in corpore humano inser-

inseruant, ita Christum in sacrificio pro peccato generis humani *purissimum sanguinem* sive, cum vita in sanguine confusat, sanctissimam vitam ac nullis unquam *interiorum cogitationum* perversis motibus inquinatam, *secreti omni impuritate obtulisse*, adeoque omni modo *consummatam absolutamque sanctitatem fuisse* mentis in hoc dignissimo sacrificio, adeo, ut Deo vel occultissimos rerum meatus cognoscenti, aut abditissimas cogitationum progresiones accuratissime exploranti, sanctitas illa fuerit commendatissima & probatissima. Conferatur hanc in rem, quod dicitur, *κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν separatus a peccatoribus*, Hebr. VII, 26. Quod unice per *omnis impuritatis a mente Christi remotionem* intelligendum est.

§. XI. Hæc brevissime dicta non minus quadrant, *Nec non in sacrificium pro reatu* ~~τέλον~~ in quo eadem rerum *sacrificio offerendorum* ratio fuit, inspiciamus. Nimirum ita *pro reatu*. quoque significatum est, quod Esaias prædixerat, *ANIMALM* Christi *posituram esse ejusmodi victimam culpæ*, cap. LIII, ii. Renes partes *intimæ*, ut vidimus, respondent *anime*, qua nihil *interius* est, quia cogitationibus nihil est occultius. In *anima* enim fuit præcipue sensus iræ divinæ, secundum Matth. XXVI, 38 Joh. XII, 27. Act. II, 27. Quæ omnia hactenus satis inter se congruunt, nisi quod quis miretur de *corde*, quod in sacrificiis fuerit omissum, neq; tamen omittendum fuisse videri possit, si renes in hoc sacro negotio hanc habuerint sublimiorem de Christo significationem. An enim (inquit aliquis,) *cor animantium* non fuisse dignum altari, cum Deus in religione potissimum *cor* postulet.

Prov. XXIII, 26. Quod si Christus Dominus in omni vita omnem cordis sui sinceritatem & vehementiam Deo devovit, cur non ejus rei præfiguratio fuisset in corde animalium altari inferendo? His quid respondeam vix sane suppetit, nisi quod in rebus preceptorum atque operum divinorum multa saepe mirabilia sint, earumque causæ aliquando impervestigabiles. Si quid tamen licet conjicere, ideo videtur Deus *Cor* animalis removisse ab altari, puta *in sacrificio pro peccato & pro reatu* (1.) quia *cor* simile est carnibus, quæ heic ab altari aberant, (2.) quia in his compendiis sacrificiorum decorum erat, tantum ea dari viscera, quæ *secretioni impuritatis*, ut toties diximus, memorabili ratione inserviebant, adeoque illustrissimæ rei in Christo significandæ idonea erant. Quæcausa est, ut jam quoque libentius amplectar sententiam de voce וְוַתֵּר that quod *lobum hepatis* significet, eo maxime, quod non modo *Philo Iudeus* sed & *Josephus*, qui utrius ex usu præsente suorum temporum aliquid certi nosse poterant, *lobi hepatis* faciant mentionem. Vide *Celeb. RELANDUM*, in *Antiq. Sacr.* p.m. 307. Nimurum & hepar organum est *internæ secretionis*, quo nomine renum illa nostra explicatio fatis commode huc etiam poterit transferri.

*Item in Eucharistico
& voluntario.*

§. XII. Post sacrificia piacularia superest, (2.) ut *sacrificia* sive *eucharistica*, שְׁלָמִים binis renibus animalium similiter memorabilia perlustremus, eorumque mysticum sensum aliud an eundem evolvamus. Habant autem haec שְׁלָמִים duplēm γέτων, vel ad beneficia impetrata, vel ad impetranda. Si jam essent impetrata, locus erat sacrificio תְּוֹרָה eucharistico; sin essent

essent demum impetranda, hinc extitit *sacrificium votivum* נְבָחָה aut *voluntarium*. Qua de re vide *Outramum de Sacrif.* lib. I. c. X. §. 2. & c. XI. §. 1. 2. 3. Ubi & ratio nominis שְׁלֵמִים abunde explanatur. Quis vero dubitet, quin & haec sacrificiorum genera typice ad Christum JESum spectaverint? An enim ulla est prosperitas seu beneficium, quin a gratia & beneficentia illius profectum sit? An altare hic aliam significationem habeat, ac in holocaustis, ceterisque piacularibus? An sanguinis effusio in his non respexerit futuram sanguinis Jesu Christi effusionem ejusdemque mortem? Quid quod *offerentium communio cum hac victimâ*, secundum id, quod supra attigimus, non potuit non significare communionem cum victimâ Christi! Itaque & *renes*, de quibus agimus, hic eandem oportet significationem habere, ac superius; ut haec tenus omnia illa prorsus eadem sint. Sed est præterea, quod hoc loco specialem requirit observationem. Cum enim Apostolus graviter Romanos adhortatur, ut corpora sua *siftant sacrificium vivum, sanctum, Deo acceptum*, Rom. XII. i. aut simili phrasí, ut *seipso & membra sua omnia Deo sificant*, cap VI. 13. quibus in verbis *tota corpora* quasi οὐρανοί holocaustorum commodissime considerari possunt; tum vero paullo aliter a Davide prædictum est, *populum Christi futurum esse נְבָחוֹת oblationes voluntarias*, Ps. CX. 3. Unde veterum sacrificiorum voluntariorum, & spiritualium eorundem sub N. T. quam late res patitur, querenda est convenientia, atque ea propter RENES, qui his sacrificiis compendiariis V. T. נְבָחוֹת inerant, suam etiam habent explicationem respectu nostri, quemadmodum primario sensu habent

habent respectu Christi. Breviter. si nos sistimus Deo sacrificia voluntaria , docemur veteri illo ritu , DEO consecranda esse potissimum, quæ nobis intima , sive in nobis occultissima sunt , ut non modo facta externa ad normam legis sint composita , sed multo magis homo interior sanctæ mentis Deo consecretur ; ut in hac spirituali victima cogitationes nostræ , postquam e corde exierunt , segregata peccatorum impuritate in corpore Ecclesiæ puriores progrediantur ad omne officium spiritualis nutrimenti , sicut de renibus in œconomia corporis humani res ad hunc modum se habet.

*Adjicitur ,
quid adeps
renum signi
ficaverit.*

§. XIII. Quid vero postremo de adipe renum , in lege Mosaica disertis verbis memorato ? Lev. III, 4. Dum enim renes perpendimus adipe suo olim involutos , necesse est , hic etiam rerum conjunctarum conjunctam explicationem esse. Judæorum si primum sententiam quærimus , ii quidem pro more hærent in cortice , nucleum haud tangentes. Abarbenel ideo adipem sacrificatum existimat כחומרת באש והוא עשוּם להבה פתאום וריה האש מסורר ויפת עמהם ולכך צוח על הכליות מפני שעלהיהם חלב *quod adeps in igne subito in flamnam convertatur , adeoque pulcher ordinatusque ignis fiat : quamobrem & DEUS de renibus precepit , eo quod super iis adeps sit copiosus.* Comment. in leg. fol. 188. col. I. l. 1. En hic aliquid de adipe & de renibus in compendio , sed quæ ingenio Christiano parum satisfacient. Sane , si id primum sumimus , oportuisse victimas totas aut earum partes igne consumi , probable erit , id quod facile comburi posset , omnino altari inferendum fuisse.

Sed

Sed manebit quæstio , quæ necessitas sit combustionis ; aut cur hoc potius , quod inflammari posit , non aliud aliquid igni fuerit consecrandum . Verum hæc facile a nobis explicabuntur . Nam si altare est mensa Dei , Ezech. XLI , 22. quæcumque eo deferuntur , habent similitudinem ciborum , quibus Deus ad justitiae suæ cupiditatem satiandam fruatur . Igitur quæ comburuntur , idem est , ac si ore DEI consumantur . Quod ergo facile inflammatur citoque consumitur , id DEUS quasi gratiorem cibum cupidius arripit . Adipem igitur facile ardente & cito consumendum dicimus respondere optimis vitæ humanæ facultatibus , quas Deo desideratissimas & Christus omnes Patri suo coelesti obtulit , & sanos quoslibet Deo offerre necesse est . Sane in toto animali pinguedo optima & ceteris carnibus melior censetur . Quemadmodum igitur Deus hunc adipem voluit esse altari proprium , ut homini eo vesci non licaret , Levit. III , 17. ita quæ optima in nobis sunt , Deo sacra esse oportet , ut nos Deo non nobis vivere appareat . Deinde & alia extat de hoc sacro adipi sententia , non minus nobis probata ; nimirum Deum præ-significare voluisse , uti optima bona gratiæ suo tempore , puta sub N. T. ex merito & sacrificio Christi in Ecclesiam redundatura sint , quæ sub V. T. credentibus in Messiam nondum dabentur . Vide Esai. LV , 2. Psal. XXXVI , 9. Hebr. VIII , 6. Etenim , si sanguis qui l. c. Lev. III , 17. adipi adjungitur , altari fuit proprius , & ab esu humano remotus , quamdiu vere expiantis sacrificii futuri sanguis nondum existeret ; consimili ratione dicendum videtur , quamdiu abundantiora gratiæ beneficia ex merito Christi præsente Ecclesiæ conferenda non

C

exta-

extarent, adipem, de quo hic agitur, oportuisse altari
sacrum esse, illiusque comedionem vetitam. Atque
haec in præsentia de hoc arguento sufficiant, quibus
nihil adjicimus, nisi hoc votum, ex i. Theff V, 23. ut
secundum hæc, quæ hoc loco meditati sumus, DEUS
pacis nos omnes ὀλτελῦ toros sibi sanctos efficiat, & in-
teger noster spiritus, anima & corpus inculpate serventur
usque in adventum Domini nostri JESU Christi, eaque
ratione faciat nos sibi DEUS veras *oblationes*
voluntarias, in sui nominis gloriam &
nostram salutem!

TANTILLUM EST!

AD PRÆSTANTISSIMUM RESPONDENTEM

P R A E S E S.

Vult Deus ex nobis sibi sancta
holocausta parari!
Tu dabis in studiis *interiora*
tuis!

CO-

(19)

COROLLARIA

RESPONDENTIS.

I.

Mundum ex nihilo creatum esse locus
Hebr. XI, 3. difficulter probat.

II.

Verba enim: μὴ ἐν Φαινομένων explicanda potius videntur per invisibilis Dei perfections, secundum Rom. I, 20.

III.

Si enim nihil intelligendum esset, cur non scripsisset Apostolus ἐν μη ὄντων, secundum Rom. IV, 17.

IV.

Ex loco Ies. I, 3. רֹאשׁוּ שׂוֹר קָנְתוֹ וְחַמּוֹר אֲבָוֹת בְּעָרֵב non potest probari, bruta ratione esse prædita.

V.

Nam Deus populum Israeliticum pudefacer voluit ex comparatione bovis & alini, qui mero ex instinctu naturali possessorum suum & præsepe Domini sui cognoscunt.

VI.

Turpe enim est, homines ratione præditos Dominum suum non cognoscere, cum bruta ratione carentia suos dominos agnoscant.

NOstra suo tenebris circumdata pectora verbo
Æterno renovans Deus illa propinquus ut
ad sit

Renibus appositis placida ad sacrificia renum,
Svauis Amice Tuis, sincero postulo voto:
Sic meritus Tibi surget honos, quæ gloria soli
Competit ardentí famæ cupidinibus æquis.

FERDIN. RUDOLPH. LEZIUS,
Cotheniens. SS. Th. Stud.

CUm scrutatori cordum libamina renum
Sub veteri extiterint fœdere grata satis;
Multo erit internus tuus hic acceptior illi
Affectus! cordis victima sacra tui.

*Paucula hæc Patriæ suo longe dilectissimo
affectus & benevolentiae causa appo-
nere voluit.*

C. L. COLERUS,
Theol. Stud. Opponens.

TE fortem præbes, renum dum dogmata
sancta,
Jam jam propugnas, sic tibi palma datur.

Amoris & amicitiae ergo scripsit.

JOH. ANDREAS BOJET/
Geronisrod. Anhalt. Th. Stud.

(0)

99 A 6957

ULB Halle
002 826 607

3



86

V3 17
VDIB

Retrov





EXERCITATIONVM

THEOLOGICARVM IX.

DE

**RENIBUS ANI-
MALIUM
PRÆCIPUIS SACRIFI-
BUS,**

x-rite

colorchecker



MSCPPCC0319

2019 Edition

mm

ante

MERO,
E ET LIN-
P.P.

NI RECTORE,

ALMUTH,

XII.

TR. ANHALT.

